

ditur, flagellatur &c. impassibile esse , præter Revium nemo, quod sciam, deliravit.

EXERCITATIO XC.

*Tres loquendi gradus cum tribus sentiendi gradibus
conferuntur.*

1. Quemadmodum ad perfectam sensationem : ita ad perfectam locutionem humanam corpus & anima requiruntur , & in utraque functione tum organi corporei motus , tum cogitatio mentis includitur , ita ut ex natura sua ambæ inter se comparari possint satis commodè.

2. Præterea præcipuorum sensuum (visus & auditus) operationes ad loquendi actum ordinem habent, cum loqui (viva voce) & audire correlata sint, sicuti etiam scribere seu scripto loqui & legere oculis seu videre quid scriptum.

3. Et quemadmodum in sentiendo tres gradus distinguntur : motus organi corporei, perceptio mentis , determinatio voluntatis ad judicandum : ita in loquendo primus gradus est mentis perceptio , secundus judicium & voluntas significandi id alteri quod percepisti , tertius motus organi corporei,